



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Constans Defensio, Ex S. Scriptvra, Et Vera Catholica
Doctrina, Atqve Observatione Vniuersalis Christianæ
Ecclesiæ Deliberationis de Christiana Reformatione**

Bucer, Martin

Genevae, 1613

De aqua admiscenda Vino in Calice 82

urn:nbn:de:hbz:466:1-34315

Septima Pars.

De mixtura Calicis cum Aqua.

C. A. P., L. XXXII.



Oc loco scribunt Aduersarij, Libriti Reformationis nullam facere mentionem de vino aqua miscenda, cum tamen id à tempore Apostolorum in Catholica Ecclesia ad hæc usque tempora obseruatum sit, & à S. Patribus Conciliisque obseruari præceptum. Et ad hoc probandum addicunt Irnæum, Cyprianum, Eusebiūm, Emilianum, Papas Alexandrum & Iulium, tertium Concilium Carthaginense, & Concilium Martini Papæ, qui omnes de hac ordinatione testantur, ac doceant, quod per hanc mixturam unius publicum Christo representetur. Inter quos D. Cyprianus scripsit, Lib. 2. Epistola. *Si vinum tantum quis offerat, sanguis Christi incipit esse sine nobis. Si vero aqua sit sola, plebs sumit esse sine Christo.*

Responsio.

Hec rursu vides, Christiane Lector, quibus de rebus Aduersarij disceptent. È rem deuenire passi sunt, ut de missis neque corpus neque sanguinem Domini populo distribuant. Quamuis enim dimidiatum ei Sacramentum dispensant, id tamen plerunque priuatim faciunt, & extra missam: qua ratione populum, quantum ad Sacramentalem communionem pertinet, à Christo Domino penitus excludunt. Verum id nullo modo sollicitos eos tenet, tantu[m]que abest ut re ipsa & opere hoc corrigant, ut etiam tueri ac defendere consentur. Interim accerrime pugnant de aqua, qua vinum in calice misceri debeat, hanc solam ob causam, ut per hoc significetur, quomodo populus Christo Domino incorporatus cum ipso & cum omnibus eius fidelibus unum esse, & de omnibus donis illius participare debeat, non minus quam sacerdotes ipsi. Quamuis extra controversiam est, calicem quem Dominus in Cœna discipulis suis propinabat, aqua mixtum fuisse: quoniam pro natura istius regionis iterum difficulter bibitur: & scripture quoque significare volunt vinum esse insulsum, dicere solet, *Vinum esse in poculo mixtum*, Proverb. 9. Præterea illud quoque fatendum est, quod antiquissimi Patres hanc mixturam calicis Christi ad spiritualem significationem retulerunt, nempe incorporationis & insitionis populi in Christum Dominum: sicut etiam ad id, quod ex latere Christi sanguis & aqua effluxerit. Eiusmodi significationes nemo reiicit: necessaria tamen lex ex eis sanciri non potest, quoniam nullum de signo ipso habemus vel mandatum vel doctrinam Christi expressam in S. Literis. Albertus Abbas Tuicensis memorat Alexandrum Sextum ordinasse, ut aqua cum vino in calice Domini

Dominii

Domini misceatur. Quod si ita est, humana certe traditio est, quæ non
fuit ab initio.

Cæterum de distributione amborum Sacramentorum, & quod tam dispensatio quam perceptio eam significationem habeat, quod in Christo Domino sint & viuat, quicunque hæc Sacrosancta Sacraenta iuxta institutionem eius ritè percipiunt, expressum habemus mandatum cum à Christo ipso tum ab Apostolis eius. Nihilominus tamen Aduersarij irreprehensibiles esse volunt, qui non ambo Sacraenta distribuunt: & si quando aliquid ex eis populo communicant, diuidiatum solummodo Sacramentum ei præbent: factum vero hoc suum per spiritualem communionem excusat, & nullam vim in externis signis positam esse dicunt. Cæterum ex nostra parte, quamvis Sacraenta ea omnino ratione ac forma quam Dominus expressè mandauit, distribuantur, spirituallis tamen communio nihilominus docetur quam diligentissime, & populus per verâ fidem cum Christo Domino fideliter vñitur. Quod Aduersarij non modò non fideliter faciunt, sed plurima committunt, quibus hec copulatio populi cum Christo Domino grauissime impeditur. Irremissibile tamen peccatum esse oportet, quod nullo modo neque per spiritualem cum Christo vñionem, quantumuis ea diligenter per intelligibile verbum inculcetur: neque per liberum & non necessarium extenorū signorum usum defendi possit, ubi nullum signum mixtione aque cum vino quæ sine dubio à paucissimis intelligitur, prætermittitur.

Sed utinam Aduersarij ad eam doctrinam & usum S. Cœnæ, quæ Dominus nobis instituit, ac disertis verbis præcepit, veteresque Ecclesiæ diligenter ac fideliter obseruarunt aliquando redire cogitarent, tum sanè de signo mixturæ exigua contentio ac disceptatio foret. Modò ut ea tantum ad salutem necessaria agnosceretur, quæ Dominus tanquam necessariò ad eam requisita præcepit.

Octava Pars.

De Sacrificio Missæ.

C A P. LXXXIII.

 N hoc articulo conantur primum omnium Aduersarij probare cum ex S. Scriptura, tum ex antiquis Patribus, Celebrationem Sacrae Cœnæ esse sacrificium.

Secundò, Quod Celebratio ista quatulorū sacrificiorū genera in se contineat.

Tertiò, Conantur verba & ordinem missæ defendere.

Quartò, Accusant Librum, quasi multa in se comprehendat, quæ vere Christianæ doctrinæ, & institutioni S. Cœnæ contraria sint: è contra multa omiserit, quæ ad legitimam S. Cœnæ celebrationem pertineant.